DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SIPHYLIDE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SIPHYLIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL FERGUSON,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. ORD.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.


WELLCOM
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO,

JACOBO M^c^DONNELL, M. D.

DE *BELFAST*,

SCIENTIA MEDICA, LITERIS, ACUMINE,

ET URBANITATE

EGREGIE CONSPICUO;

PAGINAS SEQUENTES,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

DAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

NECNON,

FRATRI CARISSIMO,

JACOBO FERGUSON;

HANC DISSERTATIONEM,

SINCERUM

QUAMVIS PERTENUE

FRATERNI PIGNUS AMORIS,

SACRARE

VULT

SAMUEL FERGUSON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SIPHYLIDE.

MORBUM, quem in hocce opusculo tractare decrevi, in Europam a sociis COLUMBI illatum esse, ex historia scriptisque medicorum satis constat. Sese in apertum primò protulit in Hispania; exinde autem per Germaniam, Galliam, Britanniam, totamque ferè orbem terrarum, haud secùs ac pestis lethifera, infandam secum ferens ruinam, celerrimè grassatus est.

Quoniam *Siphylis* et *Gonorrhœa* longè latèque inter se (me judice) dissident, hanc prorsùs silens, priorem ſolummodò morbum paucis disserere propono.

A Culleno cel. definitur:

"Morbus contagiosus; post coitum impu-
"rum, et genitalium morbum, ulcera tonsil-
"larum; cutis, præsertim ad marginem ca-
"pillitii, papulæ corymbosæ, in crustas, et
"in ulcera crustosa abeuntes; dolores osto-
"copi; exostoses*."

Incerto post coitum tempore impurum, partem, materiei virulentæ objectam, macula parva, rubescens, dolens, pruriens, obsidet. Cutis verò quæ hanc obtegit, pustulæ more miliaris, citò elevatur; apex sensim albescit, et cuti tandem amotâ, *ulcusculum* mali moris, margine albido, calloso, irregulari cinctum, undequaque

* *Synops. Nosolog. Method.* gen. lxxxv.

undequaque serpens, vicinaque depascens, nunc in conspectum sese prodit. Hæc ulcuscula aliquando post horas viginti quatuor se ostendunt; aliquando non ante sex hebdomadas; plerumque verò quinque circiter sexve dies post coitum impurum. Ulcera primaria appellantur Anglicè *Chancres*.

Vulnera vel ulcera a viro inquinata, hujus indolem celeriter induunt.

Fœtu a matre infecto, vix unquam apparet morbus, ante quintam sextamve diem post partum. Tunc pustulæ subfuscæ, quæ in ulcera degenerant, circa angulos oris, aliisque corporis in partibus apparent.

Morbo progrediente, virus a vasis lymphaticis absorbetur, et *bubo* plerumque formatur. Bubo est glandulæ lymphaticæ tumor, quem tabes ex ulcusculo efficit. Tumor exiguus, haud leviter dolens, primò in inguine percipitur; grandior sensim evadit, et dolor simul intenditur,

tenditur, adeò ut incessus maximè fit difficilis. Tumor ad fastigium elevatur, pulsat, purpurascit; remittentibus tandem inflammationis indiciis, rumpitur, effluitque materia purulenta, et ulcus sinuosum, difficilè sanatu, formatur. Haud secùs ac alii glandularum tumores, bubo aliquando indurescit, cum nullo vel minimo dolore, et in eodem statu manet; et tunc glandula *scirrho* tentari dicitur, hicque interdum in carcinoma desinit; autem rarissimè gangrænâ plectitur.

Fauces verò ulceribus tentantur, modò decem post inceptum morbum diebus, modò autem non ante plures menses, et quum omnia externa morbi symptomata jampridem evanuerint. Ulcera, quoad figuram, cavum conum referunt, et materie subflavâ obteguntur.

Amygdalas plerumque primùm fœdant. Membrana mucosa inflammatione afficitur, deglutitio fit difficilis; ulcera serpentia formantur. Anima fœtet, ossa carie eroduntur, palatum

palatum aboletur, et nasus ipse corrumpitur. Neque quidem immunes evadunt gingïvæ et lingua, hæ enim ulceribus venereis aliquando deturpantur.

Cutis morbo affecta, maculis latis rotundis, flavescentibus vel purpureis, omnibus aliis distinguendis, referta conspicitur.

Circa radices capillitii confertim hærent pustulæ scabiosæ, quæ in ulcera degenerant. Hæ pustulæ, a figura et situ, *Corona Veneris* vocantur. Cutis autem partes crassiores, ut volæ manuum, plantæque pedum, dehiscunt, et fissuræ quæ relinquuntur fœdum quemdam ichorem effundunt.

Inveterato morbo, cutem ubique corporis, ulcera mali moris orificiis contractis pallidisque fœdant; nisi occurritur morbo, ampliora semper evadunt, musculos exedunt, ossáque ipsa quidem denudant.

Interdum

Interdum autem periosteum et ossa quoque morbi hujus diri sævitiam participant; ægrotum enim in lecto calentem, sævissimi dolores (media durioraque ossa potissimùm exercentes) infestant, neque requiem ullam sinunt, donec matutinus sudor emanat, dolores consopiens, somnumque jucundum ægro defatigato daturus. Periosteum durescit tumetque. Ossa verò in exostoses sævissimi dolentes tumescunt. Partes sic affectæ aliquando suppurant; sæpè tamen hanc mutationem non subeunt.

Ossa molliora in ſubstantiam serum æmulantem modò mutantur; modò autem fragilia ita evadunt, ut vi ferè minimâ confringantur.

Capita verò ossium tument, non sine summo dolore; et inde quidem *anchylosis*.

Ossa ipsa carie tentantur, et ulcera fœtidissima generantur. Medulla autem corrumpitur,

pitur, atque iterum recrudescunt gravissimi dolores.

Neque oculis quidem ipsis, qui ultima sæpè miseris solatia ministrant, parcit dirissima ista pestis; hi enim ulcusculis, iis quæ ophthalmiam tarsi comitantur referentibus, sæpè prædæ sunt: insequitur interdum inflammatio, et visus ipse haud rarò penitùs aboletur.

Quum verò sævitiam suam in aures exercet morbus, ossa carie tentantur, tympanum eroditur, et surditas immedicabilis sequitur.

Glandulæ autem diversæ infarciuntur et tument variis in locis; partesque pilis refertæ, a morbo laborantes, his nunquam non orbantur.

Morbo inveterato, verrucæ venereæ, nunc molles nunc duræ, vix unquam dolorificæ, circa genitalia nascuntur.

Tandem

Tandem functiones animales afficiuntur. Corriptur miser epilepsiâ, paralysi, spasmis, tremoribus, &c.

Functiones vitales morbo succumbunt: oritur dyspnœa, asthma, tussis sicca vel humida, phthisis, syncope, pulsus intermittens.

Functiones naturales labem sentiunt. Appetitus nullus, digestio prostrata, hypochondriacæ affectiones; obstructiones, hydrops, diarrhœa, superveniunt. Denique, corpus ulceribus graveolentibus obductum tabescit, pallet facies, oritur febris hectica, tandemque post summos cruciatus, æger supremum spiritum efflat.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS

INTER excoriationes vel lacerationes, et ulcuscula venerea, facilis est: illæ proximè post coitum notantur, et brevi temporis spatio abeunt; dum hæc non ante paucos dies nascuntur, et vix unquam suâ sponte recedunt.

Diagnosis facilis est inter bubones venereos, et tumores ab aliis causis provenientes. Si a fonte venereo nascuntur, glandulæ inguinis superiores tument; si ab ulcere vel cancro femoris, inferiores. Si æger contagioni objectus est, et penis ulcuscula, inguinis tumorem præcesserunt, bubonem esse venereum ultra ullum dubium patet. Ulcera verò faucium venerea, ab aliis distinguere oportet. Priora

materia subflava teguntur, et marginibus callosis, reversis cinguntur.

Ulcera gingivarum et linguæ ex abusu hydrargyri exorta, ab ulceribus dignoscuntur venereis, quippè quæ numero plura sunt.

Dolores nocturni, quos incendit morbus noster, utpotè qui medias ossium majorum partes torquent, a Rheumatismo et Podagrá facilè distingui possunt. Fons quoque ex quo profluit rheumatismus acutus satis plerumque patet; pyrexia stipatur, et artus majores dolore infestat. In rheumatismo chronico dolores levantur calore lecti; contrà, in siphylide semper ingravescunt.

Podagra primo impetu artus minores, ut policis pedis, dolore afficit; per intervalla revertit, et cum ventriculi vel aliarum internarum partium affectionibus, alternat.

Exostosis,

Exostosis, sine fractura exorta, præbet signum certissimum morbi venerei.

Si symptomata dubia usui hydrargyri cedant, verisimile est venerea esse, quoniam morbi, quos siphylis refert, usu hujus remedii in pejora sæpè mutantur.

PROGNOSIS.

Nostris temporibus, est nobis tanta peritia hoc in morbo medendo, ut perrarò exitium affert.

In fœminis dum fluunt catamenia, morbus est mitior, et facilior curatu, quàm in maribus. In gravidis, abortus est timendus.

Quando

Quando siphylis in scorbuticos, strumosos, aut phthisicos, impetum facit, medela est difficilis. Spes est in angusto, si exostosis interna vel caries in cranio oriatur; si cancer uterum exedat; vel si medulla corrumpatur. Prognosis melior in casibus recentioribus, quàm vetustioribus; in ægris adultis, quàm in infantibus, vel ætate provectis.

Quandoquidem pauciores nunc morbo venereo succumbunt quàm olim, plerosque vanæ spes exitûs oblectant. Meâ sententiâ hoc non tribuendum est tantùm ulli mutationi in morbo ipso, quàm auctis peritiæ et humanitati illorum artem medicinalem exercentium.

Quædam symptomata ut exostoses, caries, tumores glandularum, et dolores venerei, medicamentis vix cedunt.

METHODUS

METHODUS MEDENDI.

RATIO opem ferendi Siphylide implicitis, aptissimè in duo capita dividitur.

Primò, Virum venereum debellare, et e corpore amovere.

Secundò, Allevare symptomata urgentia, quæ per decursum morbi occurrant.

CAPUT PRIMUM.

MEDICAMENTA quibus Siphylidis curatio confiditur, sunt *hydrargyrus*, *guaiacum*, *sarsaparilla*, *mezereon*, *opium*, et *acidum nitrosum*. Nullum verò e medicamentis jam dictis, tanta ut *hydrargyrus* vi pollere nunc satis constat. Minimè quidem abnegarem, quin hic morbus in

in regionibus calidis aliis remediis cederet, sed experientia diuturna satis superque docet, his apud nos nullatenùs confidendum esse.

Hydrargyrus non in corpus agit, nisi quum oxygenio consocietur. Quacunque hydrargyri præparatione utimur, incipere oportet ex dosibus parvis sensimque augendis, donec sapor ingratus oris, cum dolore et leni salivatione sentitur. Non quidem puto salivationem, medelam adjuvare, sed tantùm fignum certissimum effectûs hydrargyri præbere.

Hydrargyrus adhiberi potest aut per os, vel frictione in cutem; posterior est tutior et certior methodus.

Femoribus vel brachiis, unguenti hydrargyri fortioris, ℥ſs. omni secundâ nocte inunguenda est: si verò post paucos dies os non afficitur, ad ℈ij. vel ʒi. augere oportet.

Quoniam

Quoniam unguento uti multis ægris non convenit, medicamentum internè exhibere subindè necesse est. Pilulæ hydrargyri cœruleæ omnibus aliis præparationibus præferendæ sunt. Harum tres indies (duæ nocte, et una mane), vel quot ad effectum optandum sufficiant, sumendæ sunt.

Plerisque in exemplis, debemus in usu hydrargyri persistere, duas circiter tresve hebdomadas, postquam omnia externa morbi symptomata evanuerint.

Hydrargyro in systema agente, ægrum oportet vicissitudines aëris evitare, diæta tenui et facilè concoctu uti; indusia lanea induere, et in aëre temperato versari.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

GRAVISSIMA quidem mala, quæ per decursum morbi occurrunt, ex abusu hydrargyri ortum ducunt.

Diarrhœa et tormina plerumque curentur, usu opii medicamento conjuncti.

Salivatio immodica, et vires ægroti frangit, et medelam impedit. Signa quæ ingressum ejus monent, sunt sapor oris ingratus, cum dolore et tumore gingivarum et glandularum quæ salivam secernunt.

Optimè occurritur, levi alvi purgatione, leni cervicis vestimento, et usu gargarismatûm astringentium: Postquam autem adivit, vix est nobis facultas amovendi.

Ægroto

Ægroto jam fracto, usu hydrargyri nimis protracto, prodest multùm acidum nitrosum; vires reficit, actionem ventriculi ad pristinam sanitatem redigendo; ejus porrò usu, miser hydrargyri patientior redditur, quo, in graviore morbo, nihil sanè magis optandum.

Ulcuscula non curari debent antequam hydrargyrus in systema agere incipit; nam externis morbi signis amotis, æger medicamentis ampliùs uti sæpè nolit.

Inflammatio, ustione ortâ, sæpissimè phymosin et paraphymosin inducit. Si post octo decemve dies, ex quo adhibitus est hydrargyrus, ulcuscula non ad sanitatem tendunt, nitrate argenti urantur.

Bubonem nascentem oportet discutere, hirudinibus parti tumefactæ admotis, et solutione acetitis plumbi.

Quod si ad suppurationem inclinat, cataplasmata maturantia partem hanc mutationem suscipere juvant. Quum pus coctum sit, orificio parvo ex parte pendente emittendum est.

Ulcera venerea faucium et narium sanescere inclinantur ustione, et fumigatione.

Ulcera cutis curentur solutione muriatis hydrargyri ex spiritu lavandulæ composito.

Dolores ossium nonnunquam levantur, usu guaiaci, sarsaparillæ, &c. : sin dolor ortum ducit ex periosteo tumore ossis distento, nihil est quo mitigetur, nisi hujus membranæ incisione.

Verrucæ venereæ hydrargyri usui plerumque cedunt ; quod si resistunt, debent ferro exedi, et ad bases ustulari.

Quando post longum hydrargyri usum, ulcera non ad sanitatem vergunt, oportet hoc medicamentum

medicamentum omitti, et diætâ lautâ cum vino et cinchonâ uti.

Aër impurus nosocomii, vel urbis magnæ, nonnunquam medelam impedit: re ita se habente, commigratio in rura multùm prodest.

